

3083

C O D I C E S

3084

DCCCLV.

DCCCLVI.

755 Codex membranaceus lat. Sec. XV. Folior. 108. 8. caractere sat luculento nigro rubroque scriptus hunc titulum praefert: *In nomine sancte et indiuidue trinitatis incipit breuiarium ordinis hospitalis ierosolimitani.* Initium ducitur a sabbato in aduentu domini ad uesperas. Per totum decursum Dicenda primis duntaxat uocibus indicantur, plurimisque Rubricis interspersa sunt; adnotantur etiam *Missae. Fol. 78. p. 2. post Festum SS. VII. Fratrum die 10. Julii* ponitur Officium in liberatione sancte ciuitatis ierusalem, ubi ad marginem inferiorem alia manu sequens *Invitatorium* adscriptum est: *Filie syon currite adfunt enim celebra matris uestre sollempnia iubilemus igitur deo nostro unanimes qui sibi eam gratuita elegit clementia. Item Oratio. Omnipotens sempiternus deus edificator et custos ierusalem ciuitatis superne custodi locum istum cum habitatoribus suis ut sit in eo domicilium incolunitatis et pacis. P. D.* Hoc Officium sequens excipit Rubrica: *Eodem die dedicatio dominici sepulchri. quam sollempniter celebramus.* Et nihil amplius, sed statim: *Sancte Praxedis uirg. &c.* Ad calcem: *Explicit breuiarium ordinis sancti iohannis baptiste.* Adhaeret tamen *Collectarium* sine titulum.

Codex membranaceus lat. quem 729 e characterum forma facile uetustiore credas, sed Sec. XV. Folior. 490. 4. nitidissime perscriptus, et literis initiorum picturatis deauratisque speciosus Officium divinae Psalmodiae, vulgo *Breuiarium* exhibet, in quo praemissa de ordinando Tempore ecclesiastico, ut solet, institutione sequitur *Calendarium.* Comparat in eo mense Febr. *Translatio sancti Augustini*, Apr. *Translatio sancte Monice*, Majo *Conuersio beatissimi patris nostri Augustini*, et *Sancte Monice*, Aug. *Sancti Augustini cum Octava*, Sept. *Sancti Nicholay de tollentino.* Praeterea fol. 386. Horis de S. *Augustino* inscriptum est: *In solemnitate beatissimi patris nostri Augustini*, atque haec omnia minio. In usum itaque Ordinis *Augustiniani* scriptum est istud *Breuiarium*, et en tibi fol. 89. eleganter florido et deaurato depictam habitu huius Ordinis effigiem Librariae, quae ductus *Literarum* uetustiores scite imitata celebrioribus *Mulieribus καλλιγραφως* accenseri potest. Circumfluit illam Fasciola inscripta: *Ancilla Yhesu Christi Maria Ormani Filia Scripsit M^o. CCCC. L. III.* quem annum in calce *Codices* repetitum male feriat quispiam corrupit, ut mox dicitur. Parthenonem quendam *Italiae* incoluisse *Mariam* nostram liquet e ratione scribendi mensem *Majum*, qui semper *Madius* (Maggio) audit, atque Parthenonem illum